AUGUSTINUS TRIUMPHUS DE ANCONA
Hall, 1432-1433 Seite 239v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35029
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



papa eximit multos a se in tempa-
lium administratione ergo multos potest
eximere sic a se in temporalium iu-
risdictione. Preterea quilibet potest cedere
iuri suo non obstante ergo quod
papa est dominus omnium potest cedere tali do-
minio ut fiat aliquis exemptus
ab eo in temporalium domino. In contrarium
est quod non potest papa facere quod mem-
brum non sit membrum et quod non
habeat caput ergo non potest facere
quod omnes fideles tam clerici quam laici
non sint membra ecclesie ut non
cognoscant eum esse unum caput
temporalium et spiritualium. Respondeo dicendum
quod sicut dicit apostolus ii ad Thimotheum ii
Deus fidelis est et se ipsum ne-
gare non potest. Negaret autem se ipsum
si eximeret aliquos a suo dominio
temporali vel spirituali quia tunc negaret
se esse dominum omnium tam corporalium
quam spiritualium. Cum ergo papa verus
dei vicarius sit cum aliquos eximeret
a se ipso in iurisdictione temporalium vel
spiritualium negaret quod esset verus
vicarius dei et tunc negatio in erro-
rem manicheorum eum induceret
ponentium ab alio principio temporalia
et ab alio spiritualia esse producta.
Unde non est dubium quod si pro tali ve-
ritate testificanda papa pateretur verus
christi martyr esset censendus. Non
enim ut ait Augustinus Herodes dice-
bat Johanni Nega christum sed solum
quod liceret sibi habere uxorem fratris
sui. Et quia hoc negavit passus
est et martyr effectus est. Sed papa constanter
negare debet aliquem laycum vel cleri-
cum regem vel imperatorem exemp-
tum esse ab eo in iurisdictione temporalium

vel spiritualium quia contrarium confitendo
confiteretur deum cuius vicarius existit
non esse universorum dominum et indicare
eius cuncta non esse posita. Nec
est dicendum quod ista confessio sit
fienda propter ipsorum temporalium cupi-
ditatem sed propter testificandum
ipsius dei et vicarii ihesu christi
universalem potestatem. Ad primum ergo
dicitur quod consuetudo veritati et ro-
ni contraria quanto diuturnior tanto perni-
ciosior et periculosior nec con-
suetudo sed abusio dicenda
est. Non enim dixit christus ut dicit
Gregorius Ego sum consuetudo
sed dixit Ego sum veritas. Et
beatus Cyprianus dicit quod con-
suetudo quantumcumque vetusta et
quantumcumque vulgata veritati est
omnino postponenda. Si vero potentia
regalis vel imperialis allegatur
videtur ut dicit Augustinus quod factum
sit de Nabuchodonosor quando in regno
depositus est et inter bestias con-
numeratus est donec recognosceret deum
celi universorum esse dominum. Ad ii
dicitur quod non est simile quia temporalium et
corporalium administratio attestatur
dei et vicarii sui papae dignitatem.
Sicut enim deus temporalium administra-
tionem exercet mediante creaturis iudicem
omnium et dominum omnium se esse facit.
Sic papa vicarius eius aliquos exi-
mit a se ipso a temporalium admini-
stratione sed nullos potest eximere
a iurisdictione quia exemptio a iuris-
dictione negaret dei potestatem.
Sed exemptio ab administratione
temporalium ipsius cuius ipse vicarius est